

tate, c. 3. n. 5. 38. Rojas de hereticis, part. 1. n. 58. & alii.

22. Arguunt tertio; quia illa figura, seu umbra Samuelis, obedivit Pythonisse, ejusque magica arti, proindeque ejus incantationi, demonisque, vi, ac potestate suscitata videretur Pythonissa non aliam, nisi tantum suum Pythonem, id est demonem familiarem evocavit, hoc autem valde impium, & alienum est sentire de anima sancti Samuelis Prophetæ, ut obediens esset, & veniret ex demonis imperio, fuit ergo, quæ apparuit larva demonis non anima Samuelis.

23. Responderetur ad argumentum, quod Samuel apparuit, non obediens Pythonissæ, nec ejus arti, sed imperio, ac jussioni Dei; imò Deus prævenit, & impedit omnem incantationem, quod ex multis patet, quia ubi primum Saül consuluit Pythonissam, statim absque ulla mora, antequam ipsa sua carmina magica, suosque ritus magicos exerceret, ad Samuelem invocandum, statim mulier vidit Samuelem 1. Reg. 18. num. 12. Secundo, quia mulier videns Samuelem, turbata est, cum adesset, antequam invocaret, quia si post ejus invocationem veniret, non turbaretur. Tertio, quia mulier videns Samuelem, ipsum non agnovit, sed ait, Deus vidi ascendentes. Si autem Samuel adesset per ejus invocationem, bene eum agnosceret, venit autem Samuel non ex incantatione magica demonis, sed ex jussione Dei, qui voluit impedire artes magicas, & eas prævenire, ac antea respondere, ut ait Caicranus, ut ita esset evidens, quod non demon, sed Prophetæ ex Dei imperio respondebat, quod sicut ipse principium regnandi Saüli annuntiaverat, ita & finem vitæ & regni propter sua demerita prædiceret, D. Augustin. ad Simplicianum, lib. 2. quest. 3. & ait: Non est absurdum credere ex aliqua dispensatione divina voluntatis permissum fuisse, & non invitum, nec dominante, aut subjugante magica potentia, sed volens, atque obtemperans occulte dispositioni Dei, quæ & Pythonissam illam, & Saulem latebat, consentiret spiritum Prophetæ ostendi aspectibus Regis, divina eum sententia percussurus.

24. Quod autem, cum aliqua mala intentantur, Deus præveniens impediatur, ne ipsum malum perficiatur, patet, Nam cum Balaam vellet consulere demonem pro Balac Rege Moab, prævenit eum Angelus Dei, ut illam, altam ac illustrem de Christo Domino, ad Israhel prophetiam, per ipsum Balaam edidit, Numer. 22. n. 32. Similiter cum Rex Ocholias ægrotaret, & pro salute mitteret legatos ad consulendum Beelzedub idolum, prævenit eos in itinere Elias; & propter illud peccatum, ex Deo mortem prænuñtiavit, ac intimavit, 4. Reg. 1. num. 16.

25. Arguunt quarto; ille qui apparuit, conquectus est de Saüle, quia Nicromantiæ virtute ipsum evocaverit, non jussu Dei, inde evocatus ait: Quare inquietasti me ut suscitarer, c. 28. n. 15. Ergo ille apparens, non venit ex jussione Dei, cujus imperio ad nutum, maxime justis obtemperant; ergo ille, qui apparuit, non erat ipsemet Samuel justus, sed quoddam demonis spectrum. Et confirmatur, quia audiens Saül, quod Samuel apparebat: inholi-

navit se in terram, & adoravit, citato cap. 28. n. 14. Si autem esset verus Samuel tamen adorationem sibi deferri non permitteret, quia soli Deo hanc dandam esse, ipse Samuel sepe docuerat, ergo non erat ipsemet Prophetæ, sed demon ejus loco.

26. Responderetur ad argumentum, quod Samuel conqueritur, non quia jussus est à Deo, quia tunc non invitum veniebat cum maxime obediens, & volens esset obtemperans Deo, sed conqueritur, quod suscitatus fuisset per media illicita artis magice, quod ei maxime displicebat, & quamvis Saül non fuerit causa, fuit tamen occasio ad talia peccata committenda, imò ex hoc maxime confirmatur nostrum assertum; quia diabolus actionibus Magicis, ac peccaminosis non inquietatur, sed potius delectatur, & maxime gaudet, dum mediis incantationibus evocatur in hominum perniciem, Ad confirmationem dicimus, quod adoratio latræ soli competit Deo, at verò Dulix, seu observantiæ datur viris sanctis & magnis; sic Abraham adoravit filios Heth, Gen. 23. n. 7. David adoravit Saulem, 1. Reg. 24. n. 9. Abigail Davidem, ibid. 25. n. 23. de quo videndus est, D. Thomas 2. 2. q. 84. art. 1. ad 1.

27. Arguunt quinto; Samuel dixit ad Saulem: Cras autem, tu & filii tui mecum eritis, 1. Reg. 28. n. 19. Samuel, ut justus erat in limbo Sanctorum Patrum, Saul autem ut impius descendit ad infernum damnatorum, ut potè moriens in actuali delicto magice, ac diabolicæ invocationis.

28. Responderetur quod illud mecum eritis, significat generaliter, ac confuse statum defunctorum, ac proinde idem est, ac si diceret: Cras tu, & filii tui moriemini, & mecum eritis in statu mortuorum, dispari tamen sorte; nam Samuel in limbo Patrum receptus est, sicut & de Jonatha multi dicunt, & ait Beda: Nec enim ibi Saül malus, ubi Jonathan bonus meruit recipi, D. August. lib. 2. ad Simplicianum, q. 3. sic ait in persona Samuelis: Mecum eris, non ad aequalitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referitur, quod uterque homo fuerit & uterque mori potuerit, jamque mortuus mortem vivo prænuñtiabat.

29. Arguunt sexto; nam 1. Reg. 28. num. 8. expressè dicitur, quod Sauli Deus nec per visum, nec per Prophetas respondere voluerit ac proinde qui per Prophetam adhuc vivum respondere noluit, multo minus per Samuelem jam defunctum id efficeret. Responderetur negando sequi Deum, qui noluit respondere per vivos, non respondisse per defunctum, quia utrumque majoris indignationis erat signum, ita ut Saul, qui recesserat à Deo, ex omni parte vehementer coarctaretur, tam à vivis, quam à mortuis; à vivis, à quibus non habebat responsum; & à mortuis, ab illo nempe, à quo inauguratus fuerat Rex, dirum nuntium privationis Regni, ac vitæ, quia dignus erat hac pœna.

QUESTIO IV.

An defunctorum anime aliquando veniant ad nos superstites, ac viventes?

SUMMARIUM.

- 30 Anima separata sua naturali virtute non possunt venire, ac apparere.
- 31 Anime defunctorum, sive sint in Cælo, sive in Purgatorio, seu inferno arte demonis non possunt venire, & apparere viventibus.
- 32 Unde apparitiones, quæ faciunt demones fingentes se esse animas, sunt phantasmata arte demonis.
- 33 Et quando demon in corpore demoniaci loquitur nomine defuncti mentitur.
- 34 Reprobantur aliqui, qui promittunt se post mortem apparitari.
- 35 Sæpe ex permissione Dei anime apparent viventibus.

30. PRIMO dicimus de naturali potentia separatum animarum, quæ demones, postea de Dei virtute est agendum. Et primo certum est animas separatas sua naturali virtute non posse tales apparitiones efficere, eisque multum repugnare; ut docent D. Thomas 1. p. q. 117. art. 4. & ait Non potest anima naturalis virtute movere aliquod corpus, cum enim sit naturalis forma humani corporis, non habet vim movendi secundum locum, nisi corpus quod informat, & vivificat, quare anime defunctorum, neque assumere corpora, nec cum illis ad vivos venire possunt D. Thomam sequuntur Caicranus ibi, ac communiter omnes Theologi. Anima separata cum sit naturalis forma sui corporis, aliud corpus secundum locum non potest movere, quia per respectum ad extraneum corpus non est illius forma per respectum ad proprium corpus, illud est redactum in pulverem, & anima non habet vim ad illud iterum componendum, & esto demus quod tale corpus adhuc superstes est, jam est informatum alia forma cadaveris, quam anima separata non potest expellere, nec valere prodece sui unionem, ad tale corpus, nec potest sua naturali vi corpus æthereum efformare, quia anima sparata nullam habet vim ad movendum corpus externum, ut ait Divus Thomas, & cum ipsa sit spiritalis, non potest agere per se in corpus materiale.

31. Nec tales animæ potestate, aut arte demonum possunt venire: Quia Beatorum anime in manu Dei sunt, ut dicitur Sapient. 3. num. 1. & Deuter. 33. num. 4. Deus dilexit populos: omnes sancti in manu illius sunt. Damnatorum autem animæ, perpetuis (Divino judicio) sunt addictæ supplicii, & sine ejus permissione nequit diabolus sinere egredi: Vinculis aternis sub caligine reservavit, Judas Apostolus num. 6. Animæ autem, quæ sunt in Purgatorio oportet quæ à Deo durissimo carceri sunt mancipatæ, absque ejus licentia, inde exire non possunt, ac proinde cum in gratia, ac

justitia sint confirmatæ, jam sunt in manu Dei, nemo de manu ejus valet rapere, Joan. 10. num. 28. Nihil in eis diabolus valet efficere, Joan. 10. Divus Augustinus lib. de cura pro mortuis, c. 16. D. August. Petr. Thyra, libro 1. de apparit. spirit. spirituum Petr. Thyra, c. 11. Petrus Bensfeld, de confess. malefic. dub. 2. conclus. 2.

32. Unde apparitiones, quas faciunt demones, fingentes se esse animas defunctorum, ut in errorem inducant, sunt spectra, & phantasmata, ut tradunt Tertulian. lib. de Anima cap. ultimo S. Thomas part. 1. quest. 117. art. 4. Soroto lib. 8. de justitia, q. 2. art. 2. col. 4. vers. Sed rogas. i. edrola in summa in 1. precepto, §. 10. Deltrius disquisit. magic. quest. 17. sect. 7. Sanchez in Decalog. tom. 1. lib. 1. c. 38. num. 23. Qui etiam bene advertunt, quod quamvis bona consulant, perant que suffragia fieri, aut aliquid restitui, id efficiunt gratia facilius illudendi, ac decipiendi.

33. Quando autem in demoniaco, demon se esse animam alicujus defuncti dicit, semper mentitur, ut tradunt Abulens. Martinus Delrio, quos citat Sanchez allegatus num. 34. Abulens. Deltrius. quia anima defuncti nunquam aliud corpus ingreditur, & ut citati Doctores advertunt id, quod præscribunt, aliquando faciendum, aut quia circumstantes se obligantur, aut quia de ratione suæ bonitatis faciendum, Tamen advertit Thyraus de Apparitionibus spirituum c. 15. n. 20. demonibus nec bona consulentibus, obediendum esse, eo quod omnia bona, quæ consulunt, sunt dolosa, & tendunt in perniciem nostram.

34. Unde non est temerè imitandum, quod antiquitus ab aliquibus factum legitur multo promittentibus, ut præmortuus superstiti appareret, certiore enim de suo statu facturus, & quamvis res secundum se considerata, valeat culpa carere, ut docent Auctores statim citandi, quia tamen talis apparitio non est in potestate morientis, & objectum est expositum illusioni demoniacæ, ideo merito id reprehendunt Cirvelus de superstitionibus part. 3. c. 11. & Friburgus in summa confessor. lib. 1. tit. 11. q. 23. Martinus del Rio lib. 2. disquisitio. Magicar. quest. 26. sect. 7.

35. Tamen concedendum, aliquas animas in cælo beatas, aut in Purgatorio existentes, in inferno detentas, id Deo permittente ob aliquas justas causas, aliquando viventibus apparuisse, ut de Samuele est dictum supra quest. 2. sic & Judæ Machabeo apparuerunt Onias Sacerdos, & Jeremias Prophetæ, qui extendens manum dexteram dedit Judæ Machabeo gladium ad pugnandum contra adversarios populi Dei. 2. Machab. 15. à n. 12. & 13. &c. quod & multis aliis exemplis probant Martinus Delrio, Thyraus & eodem libro per Thyraus, multa capita.





RESOLUTIO XLIV.

An aliquando laudabile sit, vel saltem licitum propria manu mortem comparare?

QUESTIO PRIMA.

Ponuntur ea, qua pro voluntaria morte inflicta pugnant cum exemplis.

SUMMARIUM.

- 1 Nil est aliud diu vivere, quam diu torqueri.
2 Fuerunt aliqui, qui dicerent, non solum licitum sed laudabile seipsum interire.
3 Fuerunt aliqui, qui amore mortis se vivos conremarunt.
4 Hac sententia probatur ex aliquibus locis scripturae.
5 Probat hoc sententia auctoritate Patrum.
6 Comprobat exemplum sanctarum Virginum.
7 Pro hac re multas alias matronas in exemplum adducit D. Hieron.
8 Quod etiam confirmat exemplo Lucretiae.
9 Multi etiam fuerunt viri, qui se ipsos occiderunt amore aeternitatis.

Præfens vita omnium miseria officina est, solus ille illam claudi dolebit, qui quietam odit, ferias malorum respicit, quique perenni vita, perennes appetit poenas...

Fuerunt Donatistæ, qui Circumcelliones dicebantur, qui non solum existimabant licitum, sed opus esse eximium, & magni meriti, atque quoddam martyrii genus, quod aliqui ferro, vel igne se ipsos neci darent...

Ex alio capite etiam quoad Judæos fuerunt Gymnosophistæ, qui vocabantur Samonci, qui pulchrum, & elegans dicebant occupare diem fati, seu mortis, & vivos se cremari ju-

bebant; quia scilicet vitam, ut quandam naturam servitarem inviti patiebantur, & mortem expectare pro decore habebant, de quo latè agunt Cælius Rodrig. lib. 13. c. 25.

Hæc sententia, seu error à sacra Pagina sacra protectionis assumit. D. Paul. Hebr. 11. Hebraeo. 11. n. 22. Sanfonem in Catalogo Sanctorum adscribit, qui se ipsum occidit. Elezearus summè D. Ambros. laudatur à D. Ambrosio lib. 1. Officior. c. 40 qui se ipsum Elephantem, quem occidit oppressit, 1. Machab. 6. n. 46. suoque voluntario sepultus est triumpho; de Razia præclaræ ejus laudes 2. Machab. describuntur, 2. Machab. 14. n. 37. & statim dicitur de eò, n. 42. quod elegit: Nobiliter mori potius quam subditum fieri peccatoribus, & gladio se peremit, non occumberet autem nobiliter, si se occidere fuisset contra rationem...

Quod etiam ex mente Sanctorum confirmatur, D. Hieronymus explicans illud Jonæ 1. D. Hieron. num. 111. Mittite me in mare; ubi se ultro ad necem offerebat, sic ait Sancto Doctor. In persecutionibus non licet propria perire manu absque eo ubi castitas periclitatur. Ergo juxta mentem sancti Patris, ubi castitas in discrimen vocatur, licitum erit mortem propria manu sibi infligere, D. Ambrosius lib. 3. de Virginibus, idem assumptum probat exemplo Pelagiæ Virginis Antiochenæ, ac quarum sororum, ac matris earum, quarum ista scilicet Pelagia subversis prius idolorum aris, se ferro peremit ista verò una cum matre se in fluvium demerserunt. Ubi sanctus Doctor, ibi loquens in persona harum Virginum, proponit multas rationes, quibus eorum placitum comprobare ac approbare resolvit.

In hac eadem sententia cum D. Ambrosio est Eusebius Cæsariensis, lib. 8. Ecclesiastice historie c. 17. Ubi summis laudibus celebrat factum Sophroniæ Romanæ, quæ cum intelligeret, S. Sophronem quod à Mazentio Tyranno evocabatur, ut ejus elegantî pulchritudine frueretur, suum cubiculum ingressa, Deum flexis genibus orans, suam pudicitiam Deo consecrans, ac cepto mucrone pectus, ac viscera transverberavit. Quod hæc scemina in hac nece sibi nec ipsi inferenda non pecaverint, inde optime probat Eusebius proxime citatus, quia Ecclesia Catholica pretiosa, ac honorifica martyrum morte concelebrat. His merito adnumeranda B. Appollonia Virgo, quæ se expediens è carnificum manibus in ignem se injecit, cujus festum celebrat Ecclesia, die 9. Februarii; Cujus gloriosum martyrium multum celebrat noster Mantuanus, & de eo agunt Eusebius lib. 6. c. 34. Nicephorus lib. 5. c. 3.

Breviter hic adnectam, præclarissimas matronas, quas magnopere laudat. D. Hieronymus epistol. 11. & lib. 1. adversus Jovinianum, Carthaginiensis scilicet Reginam, quæ magis ardere voluit, quàm Regi Harbæ nubere, & Afrubalis uxorem, quæ apprehensa utraque manu liberis, in subjectum se præcipitavit incen-

incendium, ne pudicitia damnata sentiret, nec non & trecentas Matronas ex genere Theutonum, quæ in captivitatem redactæ, cum cognovissent, se aliis viris captivitatis conditione tradendas esse, ut fidem prioribus servarent, mane suffocatis laqueo faucibus reperiunt, multo is se tenentes complexibus.

His etiam astringam cum D. Hieron. Lucretiam illam Romanæ pudicitia ducem, ut eam dicit Valerius Maximus lib. 6. cap. 1. quæ violenter oppressa à Tarquinio, se ipsam interemit; pudit enim turpitudinis alienæ in se commisit, etiam non secum, & nolens violatæ pudicitia supervivere, maculam corporis cruore delevit, ut dicit D. Hieronymus lib. 1. ad Jovinianum.

His etiam sceminis maxime ab antiquitate laudatis adjungendi sunt viri illustres, qui celum appetentes sibi ipsis manus intulerunt, ut Cleanthes, Chryssippus & Zeno, & Empedocles Poeta Siculus, qui immortalitatem novo mortis genere affectans, se in Aethnam conjecit, ut eum repente non apparuisset, translatus in Deum crederetur, quod optime confirmat Romanæ Sapientiæ princeps Cato Uticensis, Vir sapiens, & doctus, quem mirifice laudat D. August. lib. 1. de Civitate, c. 23. qui lecto Platonis libro de aeternitate, ejus aviditate se ipsum interemit. Hæc sententia non solum exemplis, sed etiam rationibus dandis q. 5. Confirmatur.

QUESTIO II.

Veritas Catholica statuitur, magno pondere Doctorum, ac utriusque juris locis.

SUMMARIUM.

- 10 Resolutio vera, & Catholica, quod nullus potest seipsum interire.
Probat Resolutio magno numero Doctorum, ibid.
11 Probat ex jure Canonico, quod magnas poenas imponit seipsum interficienti.
12 Probat nostra vera resolutio ex poenis, quas leges civiles imponunt seipsum interficienti.

ERTA, & Catholica resolutio est: absque Dei auctoritate, ac ejus peculiari impulsu illicitum esse, aliquem se ipsum interficere. Hanc veritatem latè docent, ac tuerentur D. Augustinus lib. 1. de Civitate, à cap. 17. usque ad cap. 27. & lib. 1. contra Perilianum, c. 24. & lib. 2. cap. 49. & lib. 2. ad Marcellianum Comitem, c. 21. & aliis in locis, Optatus Milevitanus lib. 3. contra Donatistas, D. Chryl. homil. 87. in Joan. D. Hieronymus epistol. 21. ad Paulam super obitu Blesille, Origen. tract. 1. in Job. ad illud, Benedic Deo, & morere. Lactantius lib. 3. de falsa Sapientia cap. 18. D. Bonavent. in 3. disputatione 77. in exposit. litteræ. D. Thomas secunda secunda, quest. 59. artic. 2. ad 2. & 64. artic. 5. & quest. 124. artic. 2. ad 2. & 3. parti. quest. 47. arti. 6. ad 3. D. Thomam sequuntur Caeteran. Bannez, Salon. Aragon. Malderus, Noster Philippus à Sanctis. Tri-

nitare, Joan. à D. Thoma citata, quest. 64. artic. 5. Sylvest. Victoria, Sotus, Covarruvias, Philiac, Petrus de Navarra, quos citant, ac sequuntur Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 6. Molina de justitia, tom. 4. tract. 3. dub. 9. Lugo de justitia disp. 10. sect. 1. Simancas de Catholicis institutis, titul. 18. num. 26. Andree Alciatus lib. 6. Pavergon. cap. 27. Tiraquell. de nobilitate, cap. 3. num. 559. Phillaster, Castro, Joannes Andree, & alii multi, quos citat, ac sequitur noster Fr. Antonius à Matre Dei. Præfatio 1. Sacre Scriptura, digress. 4. num. 347. fol. 133.

Probat primo, assertum, quia tam leges Ecclesiasticæ, quàm civiles gravissimè puniunt illos, qui se ipsos interficiunt, quoad leges Ecclesiasticas ex Concilio Bracharensi 1. cap. 3. ubi dicitur: Placuit, ut hi, qui sibi ipsi aut per ferrum, aut per venenum, aut per precipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentam inferunt mortem nulla pro ipsi in oblatione commemoratio fiat, neque cura Psalms ad sepulchrum eorum cadavera deducantur. Exciipiuntur ab hac ex cap. Parte 2. de sepulturis, qui non sponte, sed casu, vel vi illata ab alio in vitam se precipitavit, ut utriusque Textu colligunt Doctores, eos qui voluntarie se occiderunt, privandos Ecclesiastica sepultura: nam quamvis Concilium Bracharense prohibeat tantum Officium Sepultura, eo ipso prohibet locum; sepultura in Ecclesia, qui enim indignus est, ut pro Ecclesia fundat preces, consequenter indignus est ut habeat locum sacrum Sepultura.

Ita Covarr. in cap. Alma mater, & lib. 2. v. n. arum, cap. 1. num. 11. Navarus consil. 7. de sepult. Suarez de consensu disp. 35. sect. 1. Barbosa de Officio Parochi, part. 3. cap. 36. num. 49. & in Collectanea ad cap. Placuit 23. q. 5. Rodrig. tom. 3. quest. 61. artic. 1. Anton Gomez tom. 3. variat. cap. ultim. num. 8. Joan. Sanchez in Selectis, disp. 36. num. 2. Farinacius in praxi criminali, part. 5. q. 12. num. 23. Julius Laborius variat. Julibrat. tom. 1. tit. 2. cap. 11. num. 28. Sayrus Clavi Regia, lib. 7. cap. 9. num. 1. Azor. lib. 9. cap. 31. quest. 5. Menochius de Arbitrar. casu 284. num. 35.

Quoad leges civiles. Probat ex l. si quis aliquid, §. finali, ff. de poenis & ex l. Omne delictum §. Qui se vulneraverit ff. de militari. Ubi occidens se ipsum puniunt infamia; ubi per leges, qui se ipsos occidant, vel occidere faciunt, vel intentant, infames fiunt, etiam morte non secuta. Ita Joan. Andree in Additionibus ad speculatore, tit. de poenis, §. 1. Igneus in l. 1. §. si sibi manus, ff. ad Syllam, n. 1. & 20. Tiraquell. de Nobilitate, c. 3. n. 559. ubi adducit legem qui rei, §. Sic autem, ff. de bonis eorum, qui sibi mortem consciverunt. Et apud Gentiles erant statuta specialia poenæ contra eos, qui se occiderant, ut scribit Aristot. 3. Ethic. cap. 7. & lib. 5. cap. 11. & Eschines orat. in Ctesiphontem, ait; qui se ipsum necaverit, manus quæ hoc peregit, abscinditur, & separatim à corpore sepelitur.

Salon. Aragon. Malder. Philipp. Joan. à D. Thom. Victoria. Sotus. Covar. Philiac. Lessius. Fr. Anton.

11. Brachar.

Covar. Navar. Satez. Barbosa.

Rodrig. Ant. Com. Joan. Sanch.

Farinac. Laborius. Sayrus. Azor. Menoch.

12. L. Omne.

Joan. Andr. Igneus. Tiraquell.

Aristot. Eschines.